

motus cœli, ortus, & occasus signorum, coniunctiones planetarum & Iu-
 minarium, eclipses, & similia, in quibus est determinatio, & infallibilitas ex
 parte motoris, ac etiam omnis impedimenti remotio ex parte qualibet, nisi
 in quantum subiacent diuinæ uoluntati, quæ tamen semper ordinate agit.
 Et de his uera, ac certa est astrologica scientia, atq; ipsorum experta præco-
 gnitio. Quibus præcognitis, & eorū effectus facile innotescunt, ut sunt ge-
 neralia mūdi huiusce accidentia, bella, fames, pestilentia, pax, abundantia,
 regnorum sectarumq; mutationes, grandines, aerisq; maxime pturbationes,
 elementorū cōmōtiones terræ motus, & similia, quæ ex cœlesti influxu, atq;
 elementorū commotione, quæ uis syderū aguntur, quotidie, uel de æuo in
 æuū euenire concernimus. Quæ quoniā ab uniformi cœli motu inuariabilis-
 ter æque dependent, nisi secus à prima causa secundæ miraculose impediātur
 (ut prædiximus) peritissimus in his astronomus nō longe à ueritate aberrabit.
 Verum quæ potest Deus potestate absoluta, nunquam, uel raro fient, quia
 sequeretur, quod Deus faciat aliquid, & minus ordinate agat. Quū tamen
 omnia quæ sunt à Deo, ordinata sint, secundum apostolum. Neque in his
 ponendum est miraculum absq; necessitate, uel nisi in re magna, ut in morte
 Christi solaris defectio, & Iosue necessitatis tempore Solis non naturalis
 retrogradatio. Secundo aliqua sunt futura cōtingentia, quæ causam habent
 indeterminatā, & fallibilem, sicut sunt operationes hominum pure, mere,
 & simpliciter uoluntariæ, atq; ideo non habent determinatam ueritatem,
 neq; determinatam falsitatē, ut philosophus inquit. Nam uolūtas hominis
 indeterminata est, & ad utrūq; uertibilis, uidelicet ad opposita, atq; ideo fal-
 libilis, quia etiam uolenti aliquid perficere, multa occurrere possunt impe-
 dimenta. Et propterea quū sit anima ipsa hominis nobilior cœlo, nec possit
 illud, quod corporale est in animā agere, quæ spiritalis est, Ideo non potest
 cœlum uoluntatem humanam immutare, neq; in eam, nisi indirecte incli-
 nando agere. Et ideo talia non possunt astronomica, uel quacunq; alia hu-
 mana scientia, sed quodammodo exili coniectura præsciri. Tertio aliqua
 sunt quæ habent causam determinatā, sed aliquāter fallibilem, ut ea quæ
 partim à uoluntate hominis, partim à cœli influxu dependent. Et hoc quia
 cum homo naturam habeat bipartitam, unam. s. cœlestem & ætheream, ui-
 delicet animam intellectualem, alteram uero ex elementorū compagine pro-
 pagatam, quod est corpus caducum, & mortale, ea propter eandem oportet
 tui duobus agi principijs, cœli. s. influxu, & uolūate, & sic effectus, & ope-
 rationes eiusdē uarie & mixtæ inueniuntur. De his igitur cum magis eadem
 corpori, quam animæ appropriantur, minusq; uoluntati subsunt hominis,
 ut bona fortunæ corporis, & animæ habitudo, ac ueluti sensus, & intelle-
 ctus, sanitas uel infirmitas, longus uel breuis uitæ terminus, & ut plurimū
 biothanata mors, quæ uix humana uolūate, & sapientia regi, uel moderari
 possunt, De his dico astronomus uerū, ac rectum profert iudiciū, nō tamen